

Lapides
globosi.

Wilton.

Yarum.
Stokesley.

Wharlton.

Gisburgh.

Alumen,
Calchan-
thum. &c.Ounfbury
sive Rof-
bery Top-
ping.

Kildale.

Barones
Latimer.

sim ad earum radices jacent saxa, varia magnitudine tam affabre Sphærica figura à natura efformati, ut globi artificis manu in majorum tormentorum usum tornati videantur. In quibus effractis inveniuntur serpentes faxei suis spiris revoluti, sed qui plerique capitibus destituti. Wilton castrum quondam Bulmerorum inde conspicitur, & supra ad Dobham in Oceanum Tēsis fl. se evolvit, cum plures rivos hospitio suscepere & novissime anonymum juxta Yarum mercatu suo notum, qui

Yarum. Stokesley irrigat emporiolum, quod ad inclytam

familiam de Eure jam diu spectavit. Sub quibus

Wharlton castrum quondam Baronum Meinill &

Harlsey familiae Hothom, nec non postea Strangwais,

cum vetustate jam collectantur.

Tēsis quod dixi ostium, navigantibus olim suspectum, jam tuta statio deprehenditur, & ad tutum accessum indicandum utraque in ripa Phari nostra memoria sunt constitutæ. Ad quartum ab hoc ostio milliare Gisburg editius sedet, nunc exiguum oppidum, sed cui dum stetit, magna gloria fuit Monasterium per pulchrum & opulentum, quod à Roberto de Brus loci Domino circa annum Salutis M C X X I X constructum fuit, commune sepulchrum nobilibus in hoc tra-

etu, & Gualterum de Hemingford historicum non ineruditum produxit. Locus sane hic eximius & qui cum Puteolis Italiam amoenitate, grata varietate, & raris naturæ dotibus contendat, quos tamen salubritate longe superat. Aer interjectu montium, qua mare hybernat, mollitur, solum fœcundum, gramine lœtum magnam anni partem blandos flores effundit, venisque metallicis & terra aluminosa colore vario, sed præcipue ochræ & ferrugininis, è qua alumina optimum & calchanthum excoquere jam incœperunt, opulente abundat. Quod singulari solertia primus deprehendit ante paucos annos eruditus naturæ venator Cl. Eques auratus Tho. Chaloner (cujus curæ Britanniæ delicias Henricum Principem filium suum Rex noster maximus commisit) cum observasset

folia arborum hic magis quam alibi subvirere, quercus late diffusa non altas radices agere, quibus plurimum roboris & parum succi, solum argillaceum, variisque coloribus, albicans scilicet, subflavum, & cœruleum nunquam gelu constringi, & nocte sublustrī in semitis vitri instar emicare. Ounfbury Topping mons præceps & totus virens haud procul assurgit præalta specula longe spectabilis, qui & navigantibus pro indicio, & vicinis est pro prognostico: quoties enim culmen nube circumfunditur, plerunque pluvia subsequitur, è vasto saxo prope verticem fons oculis affectis salutaris effluit; & hinc gratissimo spectaculo valles reduxæ, colles herbidi, prata virentia, pascua lœta, arva frugifera, rivuli piscosi, portuosum Tēsis fluminis ostium, littora aperta sine inundationis periculo, mareque velivolum despectantur.

Kildale huic subest, Perciorum Comitum Northumbriæ castrum. Magisque ad Ortum Danby, quod à Brus etiam per Thwengos ad Barones Latimeros devenit, à quorum hærede nati fuerunt Willoughbei Barones Broke. Verum hoc Danby cum aliis possessionibus Nevillis divenditum, è quibus Georgius Nevill ab Henrico Sexto ad Parlamenta nomine Domini Latimer inter Barones evocatus

Britannia.

fuit, in cuius sobole ad nostra usque tempora permanxit hæc dignitas. Nihil aliud est quod hic adnotem, nisi Baronem de Meinill nonnulla prædia hoc in agro de Archiepiscopis Cantuariensis tenuisse, pro iisdem Cognieros, & Strangwais, & alios, qui ab iis prognati sunt, ad obsequia, & servitia militaria Archiepiscopis præstanda astrictos esse. Cumque ex Prærogativa, Rex Anglia (Prærogativæ verbis utor) habebit custodiam omnium terrarum eorum, qui de ipso tenent in capite per servitium militare, de quibus ipsi tenentes fuerint seisti in dominico suo ut de feodo, die quo obierunt, de quocunque tenuerint per hujusmodi servitium, dum tamen ipsi tenuerint de Rege aliquod tenementum ab antiquo de Corona, ad legitimam etatem hæredis. Excipiuntur tamen hæc feoda, & alia Archiepiscopi Cantuariensis, & Episcopi Dunelmensis, ita ut habeant hujusmodi terrarum custodiā, licet alibi tenuerint de Rege.

Wardship.

Interius ad montes de Blackamore, præter vagos

rivulos & rapidos torrentes, qui paſſim convallles

sibi vendicant, memorandum nihil occurrit, nisi

Pickering Lancastrensis patrimonii oppidum non

parvum, colli adfixum & veteri castello munitionis

, ad quod plurimi circumſiti viculi spectant,

unde vulgo Pickering Lith, Libertas de Pickering, &

Forresta de Pickering (quam Edmundo filio juniori

Lancastriæ Comiti Rex Henricus III elargitus

est) regio adjacens denominatur. In qua ad Der-

ventionem Atton sita est, quæ nomen fecit præ-

claræ Equitum familie de Atton à Dominis de Ve-

scy oriundæ, cuius hæreditas per filias inter Edwardum de S. John Everos, & Cognieros partita. Ab

Edwardo autem S. John per filiam ad Henr. Brom-

flet magna portio devenit. Qui quidem Henricus

vocatus est ad Comitia Parliamentaria his con-

ceptis verbis, quæ non alibi in Parliamentariis

submonitionibus occurunt, Volumus ut vos ut hered-

des vestros masculos de corpore vestro legitime exeunte

Barones de Vesey existere. Postea per filiam titulus ille ad Cliffordos transiit. Ex altera parte ad quar-

tum à Pickering milliare, juxta Dow rapidum flu-

violum, Kirkby-Morside non postremæ fortis mer-

catus quondam Esotevillorum possessio collibus ad-

jacet, unde nomen impositum.

Post hæc ad solem Occidentem Rhidall sub-

Rhidale.

sternitur, vallis lœta, amœna, fœcunda, viginti

tribus parochialibus ecclesiis ornata, quam Rhie

fluvius interfecat: Locus, ut inquit Newbrigen-

sis, vastæ solitudinis, & horroris, priusquam Gualte-

rus Espec Cluniacensibus monachis conceferat,

& cœnobium fundarat. In hac Elmesley sedet, quod

Elmesley

Vlmetum (si non mihi impono) Beda vocat, ubi

Robertus ille de Roß dictus Fursan castrum con-

struxit, juxta quod Recall fl. se sub terram condit.

Inferius ipsi flumini Riton adsidet, antiquæ familiæ Percibajorum, qui Percyes vulgo vocantur, anti-

qua possesso. Inde Rhius multorum torrentum

aquas secum in Derwentionem evolvit, qui irrigat

hac in valle Malton forum frumento, equis, pisci-

bus, & instrumentis rusticis celebratum, ubi ve-

teris castris radices visuntur, quod olim (ut acce-

pi) ad Vesios, amplissimos in his partibus Baro-

nes, spectavit. Horum stemma (ut ex Archivis

regiis constat) à Guilielmo Tyson deducitur, qui

Dominus Malone & Alnewici, in Northumbria in

prælio apud Hastings contra Normannos cecidit.

Eeeeeee Vnica

Historia
Cantuari-

ensi.

Preroga-

tivæ Reg.

17. Et. 2.

27. H. 6.

Bromflet

Dominus

Vesey.

Malton.